

admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipsa pariter traditio tam vetus, longè latèque propagata et constans, ineluctabile esset argumentum, nisi cum Scripturis vetustisque omnium seculorum historiis assertæ fidei cohereret.

8° Si tandem natura ludens interdum quædam in terræ sinu produxit, humanis ossibus, calvaria, tibia, ossibusque cæteris non absimilia, nunquam tamen, eò deveniet, ut integras ossium humani corporis compages naturalibus simillimas elingat: quin et illi naturæ usus argumentum sui nunquam non præbent,

sive majori, quam par est, rotunditate, sive figura; sive proportionum, sive, ut plurimum, soliditatis discrepantiâ. Sunt enim fossilia colore dilutiora, quippe quæ ad terrestrem magis, ubi concreverunt, accedunt. Et solidâ materiâ compacta sunt, non intus inania, ut hominum ossa. Nec impossibile credimus, ut elephantum et ceti alienius ossa pro gigantibus obtrusa sint; sed constat equidem et genuinâ quædam gigantum ossa aliquibus in locis spectari, non incertam de gigantum veritate documentum.

IN PROPHETIAM MOYSIS, DE PROPHETA A DEO PROMISSO, Dissertatio.

Prophetam..... sicut me.... (Deut. XVIII, 18.)

Moyse, in concione quam ad filios Israel habuit, mediis in campis Moab, vitâ jam exiens, supremo anno quo in deserto commorati sunt, quadragesimo post exitum de Ægypto, aliquid maximi ponderis eis pollicetur, rectissimèque quid valeret verbum ejus intellexerat omnis natio ante adimpletum eventum; deinceps sensus promissi in dubium revocatus est primò à Judæis, qui hoc in Jesu Christo consummatum fuisse abnuunt; dein à quibusdam etiam Christianis, qui, etsi non iisdem præjudiciis imbuti, tamen de eâ re eadem ac Judæi perspexerunt. Ad veram hujus promissi significationem oppugnandam, in præcedentibus et sequentibus illud arma quasivère. Ut ergo sanè de eo judicaret, non tantùm in se ipso promissum considerandum est, sed et videre est quid illud circumdederit, quid ad illud quoquo modo sese referat. Ab ortu ipsamet afferamus verba quibus includitur, incipientes à primis qui illud præcedunt versiculis, et usque ad extremos sequentes, qui cum illo aliquid relationis habere possunt. Ilac comprehendit caput decimum octavum Deuteronomii, ex versiculo nono ad finem capituli:

Quando egressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, ait Moyses, cave ne imitari

relis abominaciones, illarum gentium. Nec inveniatur in te qui lustrat filium suum aut filiam, ducen per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus; nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos audiant; tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. PROPHETAM de gente tua et de fratribus tuis... SICUT ME, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar: et ait Dominus mihi: Veni omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad illos omnia que præcepero illi: qui autem verba ejus, que loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem qui arrogantia depræcatus volucit loqui in nomine meo, que ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quod si tacitè cogi-

tatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non locutus est? Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenierit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confaxit: et idcirco non timebis eum.

Quæ sequuntur ad omnino diversa pertinent: hæc ergo sese certo modo referunt ad promissum concionis Moysi, et possunt ad tria puncta reduci: Deus præcipit populo suo ne augures gentiliū audiat; Prophetam promittit quem ab eo audiri jubet; illum præmunit adversus pseudopphetas qui de medio ejus exurgere possunt. Consideremus primò quid proprie et naturaliter significet promissum; deinde contestantium objectis respondebimus.

Ut rectè intelligatur quid sonet hoc promissum, in mentem revocandum est quid Deus Mosi dixerat, quum Maria, ejus soror, Aaronque frater murmura suscitaverunt. Maria Aaronque dicebant: Num per solam Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus, accessit illos ad tabernaculum cum Mose, et vocatis Aaron et Mariâ, dixit eis: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo illi, vel per somnium loquar ad illum. At non talis est seruus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est; ore enim ad os loquitur ei, et palam, et non per ænigmata et figuras; Dominum videt. Moyses ergo propheta ordinis summopere egregii habetur, quumque Dominus populo suo similem Mosi pollicetur prophetam, prophetam, inquit, sicut me, majorem omnibus aliis prophetam promittit. Hunc sensum omnis secuta est natio, et ex hoc tempore perseverantissimè hunc magnum Prophetam expectat. Illud clarissimè innotescit ex narratione sanctorum Evangelistarum, et ex libris actuum Apostolorum.

Qui quidem, apparente Joanne Baptistâ, miserant Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu, quis es? Et confessus est quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quis ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. PROPHETA es tu? subjecerunt. Vox latine: Propheta es tu? aliquid sonat æquivoecum, ex quâ ambiguitate quidam gallicè interpretaverunt: Êtes-vous prophète? Sed non hoc modo claudicat vox græca, quæ sine ambiguitate dicit: ὁ προφητὴς εἶ σὺ; gallicè: Êtes-vous le prophète? propheta ille qui promissus est nobis; ille quem expectamus propheta?— Et respondit: Non. Et adhuc interrogaverunt

eum: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Moyses, nec PROPHETA? Latino sermone redit vox æquivaoca jam citata, ex quo malè accidit iisdem interpretibus ut vulgari verbo dicerent: Si vous n'êtes ni le Christ, ni Elie, ni prophète: sed expressè et accuratè græca vox indicat: Nec Christus, nec Elias, nec qui est propheta; ὁ εἶς προφητῶν. Hæc interpretatio modo verbis magis adhuc expressis firmabitur.

Quum populus, splendidibus Jesu Christi miraculis allectus, illum sequeretur, Salvator mundi, circumspexit maximâ turbâ, usque ad quinque millia hominum, in eorum gratiam quinque pisces et duos panes multiplicavit, ita ut saturaverit eos, et impleverit duodecim coplinos fragmentis panis relictis. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat Jesus signum, exclamabant: Quia ille est verus Propheta qui venturus est in mundum. Nihil hic est acceps tum in græco, tum in latino, in gallico sermone. Ille est verè propheta qui venturus est in mundum. Expectabatur ergo usque ad hoc tempus ille magnus Propheta quem Moyses promiserat; nullus ex prophetis, Moyses successoribus; gentis expectationem sustinuerat, quia nullus cum Moysè conferri par erat. Sed quum visus est Jesus Christus, signis omnibus aliis superior prophetis, Mosi non impar, intellectum fuit adesse illum promissum et expectatum Prophetam. Ille est verè Propheta qui venturus est in mundum.

Postquàm ascendisset Jesus Christus in cælum, sanctus Petrus, Spiritu sancto afflatus, annuntians Judæis divini Salvatoris gloriam, fideique in eum prædicans, prophetiam Moysi his verbis eorum in memoriam revocat: Moyses dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis: quicumque ipsum non audierit, exterminetur à medio populi. Qui identidem propheta à Samuele apparuerunt, omnes quod nostris diebus event prædixerunt. In his ergo diebus adimpleta est hic reproducta promissio; Jesus Christus ergo ille est Propheta à Moysè promissus, qui est sicut Moyses.

Sanctus Stephanus, pariter Spiritu sancto plenus, eodem modo hoc promissum interpretabatur, quum Judæos allocutus hortatusque ut crederent in Jesum Christum, gesta dicta que Moyses recolligens, hæc dixit: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis. Gens tota hunc Prophetam expectabat, signisque præfulgentibus Jesu Christi populus percussus, incoeperat ipsum

prophetam in illo agnoscere; sed Pharisei doctoresque, præiudiciis obcæcati, eum repudiabant, plebeculamque omnem suæ incredulitatis consortem effecerant. Sanctus Petrus et sanctus Stephanus hanc commemorant populo prophetiam, ut in Christo promissum à Deo Prophetam agnoscat.

Apud sanctos doctores qui deinde venerunt, apud perspicacissimos interpretes eorum successores, non interrupta viguit fides scilicet in Jesu Christo fuisse adimpletam hanc prophetiam. Tertulliano manifestum erat hoc Moysis promissum ad Jesum Christum spectare, adeoque tenax erat fides, ut etiam credere æternam Patrem huic prophetiæ inmisisset, cum in monte vocem illam edidit: *Ille est filius meus dilectus, ipsum audite*; quasi dixisset: Ecce vobis promissum misi Prophetam, quem à vobis audiri volo. Sanctus Cyprianus, relatà ad Jesum Christum hæc prophetiæ, addit, Salvatorem hoc verbum Moysis illustrare voluisse, quum Judæi diceret: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi*; DE ME enim ille scripsit. Sanctus Athanasius gravissimæ erroris insinulat Judæos, qui ad quosdam suos prophetas, alios ac Jesum Christum, referri volebant vocem eorum legislatoris de eo qui post eum venturus erat. Sanctus Chrysostomus adnotat nunquam interjectionis minam à Deo contra illos intentam qui Prophetam inmissum repellerent, magis terribili modo impletam fuisse, quàm in Jesu Christi verbis contemptoribus. Adversus Faustum Manicæum sanctus Augustinus contendit hanc Prophetiam ad Jesum Christum pertinere. Faustus contra: « Jesus Christus non est propheta, non etiam similis Moysi: Moyses homo est, Jesus Christus Deus est: » ad quæ divus Augustinus: Jesus Christus est Deus et Homo; utpote Deus, superat Mosem; utpote homo, par et similis est Moysi. Aliunde si Jesus Christus Propheta ille non est, quis ergo pro illo? Multi surrexerunt à Moysæ prophetæ, sed Moyses solummodo certo cuidam Prophetæ verba destinavit. *Unum quemdam intelligi voluit*. Quis ergo ille erit? An Jesus, Moysis successor? (nam hoc nomine inscribitur Josue in versione Septuaginta et veteri Vulgata quæ utebantur sancti Augustini cœvi, Jesusque græco sermone ut et latino idem sonat ac Josue) sed Jesus ille, ait S. Augustinus, ipse effugies erat Dei hominum salvatoris.

Sanctus Clemens Alexandrinus, jam ad Josue, utpote Jesu Christi figuram, hanc pro-

phetiam de promissio à Deo Propheta retulerat: sed ut nimis imperfecta illa applicatio à sanetis doctoribus repulsa fuit. Quum hunc Prophetam prænuntiaret Moyses, jam missionem suam adimplendam acceperat Josue. Dixerat Deus Moysi: *Tolle Josue, virum in quo est spiritus; pone manum tuam super eum, qui stabit coram omni multitudine, et dabis partem gloriæ tuæ ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel* Hæc omnia jam perfecta erant, quum populum quem relinquebat, Moyses dixit: *Suscipite vobis Deus Prophetam sicut me*. Nullo ergo modo prophetia spectat ad Josue. Aliunde Dominus addideret: *Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, qui stans coram Domino consulat eum per Urin*; ad verbum ejus ingredietur et egredietur ipse, et omnes filii Israel eum eo, et cetera multatudo. A Josue igitur, ut et ab omnibus aliis consulendus erat Eleazarus pontifex, qui consulat Dominum pro Josue, ut pro cæteris: certè, quancumque gloriâ inclaruerit Josue, non hic est Propheta similis Moysi, qui cum Deo immediatum habet colloquium. Josue Josue, vel alius à Deo afflatus, in fine Deuteronomii, his verbis utitur: *Josue verò, filius Nui, repletus est spiritu sapientis, quia Moyses posuit super eum manus suas, et obedierunt ei filii Israel*. . . . *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis quæ misit, per illum, ut faceret in terrâ Egypti Pharaoni et omnibus servis ejus, et cunctam manum unam magnæque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israel*. Fixum ergo manet, quòd Josue, etsi plenus spiritu Dei, non propheta fuit similis Moysi; non ille ergo erat quem nuntiaverat Moyses. Gens universa in eandem sententiam concurrebat, siquidem perstitit in expectatione Prophetæ à Moysæ promissi. Nullus alius ante Jesum Christum comparandus Moysi existiterat; Jesus Christus solus erat ille predictus à Moysæ Propheta. Salvator mundi ipse id satis asserit; hoc clarè docent Apostoli discipulique ejus; eo sensu sancti doctores semper interpretantur hanc prophetiam. Doctissimus P. Houbigant contendit probatque omnes, quæ ab eâ interpretatione deflectunt, violenter torquere verbum, et sancto Petro contradicere. Hæc tandem interpretatio publicè defensa fuit in thesi theologico-hebraicâ de Prophetâ, mense julio anni 1766; sicque usque ad nostros dies ita intellecta fuit celebris Moysis prophetia.

Primos adversarios offendit hæc interpreta-

tiò Judæos incredulos. Cum eorum interesset non recognoscere in Jesu Christo adimpletam fuisse hanc prophetiam, conati sunt eam in alium divertere, seu eam applicantes Josue, seu referentes ad alium quemquam veterem prophetam, vel etiam ad omnes qui à Moysæ surrexerunt. Non mirari non possum apud Christianos quosdam valuisse has sententias rabbinicas; sed et stupeo in ætate perspicacissimâ quâ vivimus aliquem talibus erroribus patrocinari. Portentosum est aliquem ad id processisse ut diceret hanc prophetiam non propriè ad Jesum Christum spectare; si ad illum spectaret, Deum Judæis illuisse; illos qui, submotâ naturali interpretatione, ad Jesum Christum solum hanc prophetiam referrent, christianam fidem unâ ex ejus maximis probationibus orbare, ut huic probationi alia infinitè minoris ponderis substituantur. Quæ audacter asserta, ab his tantum habita sanctiis qui summa rerum delibant, modò sunt submittenda controversiæ.

Primo quidem nobis vituperatio intelligitur, quasi permittentibus Judæo facilimum modum hebetandi teli quod illum impetiri esse: *Quid enim utilitatis, inquit, in Christi gratiam percipere potestis ex prophetâ cujus littera non ad illum propriè se refert, consistentibus multis Christianis?* Sed qui sunt illi adeo numerosi Christiani, qui ad Jesum Christum non pertinere directissimè hanc prophetiam contendent? Adnotavimus enim recentissimè longè plures, ducibus sanctis doctoribus, divoque etiam Petro, confessos fuisse eam ad Jesum directissimè esse referendam.

Citantur in primis sanctus Clemens Alexandrinus, Vatablus, Emmanuel Sà, qui propriam faciunt Josue hanc prophetiam. Demonstrativum modò quantum ista probatio peccet debilitate suâ, ne dicam insaniam. Præterea à sancto Clemente Alexandrino ad Vatabli tempora, multi effluerunt anni, et sine dubio hæc interpretatio miniman in Ecclesiâ fidem acquisiverat, siquidem oblivioni dedita à secundo ad sextum decimum seculum obdormiverit; nec verisimile est Vatabli auctoritatem, etiam suffragante Emmanuele Sà, huic opinioni vitam posse restituere. Illi ipsi qui hoc argumentum objiciunt, inanissimum esse sentiunt, quum illud tantum commemorant, ut inde proficiantur nobis aliam auctoritatem firmius innoxiam, ut erodunt, obiecturi.

Citantur et nobis plurimi alii non nominati, sed qui, ut Menochius et Cornelius à Lapidè,

successerunt, seu tantummodo Messia. Ex hac alternativâ sufficiens decurrit probatio, illos ipsos qui hanc proponebant, prioris sententiæ et interpretationis imbecillitatem, aliter necessitatem judicavisse; jamque satis dubium est auctoritate solâ Menochii et Cornelii à Lapidè compensari sententiam sanctorum doctorum divi Petri vestigiis insistentium.

Denique dicitur: « Quam multi interpretes, post Tostatum, Oleastrum, Tirinum, Crocimum, etc., contendunt hoc oraculum Jesu: « gnavisse omnes prophetas quos Deus Judæis « immisit, voluntatem illis annuntiaturos! » Attendite post Tostatum, Oleastrum, Tirinum, Crocimum venisse; his ergo modè aurem aperiremus oraculis! Tostatus, Oleaster, Tirinus sanctiæ doctoribus perspicaciores? Crocimus fide dignior est quàm divus Petrus?

Attamen dicitur: *Hæc generalis exceptio nomine ex litterâ ipsâ evidenter consequitur*. Si evidenter consequeretur, quæ ratione diutissimè omnes fellicisset? Quomodo eam nemo cognovisset, non modò apud Judæos ante Christum, sed etiam apud Christianos ipsos in Ecclesiæ eruditissimis temporibus? Ut animadvertit sanctus Augustinus, multi prophætæ surrexerunt à Moysæ, sed Moyses unum quemdam tulit intelligi. Illud viri acrioris judicii semper intellexerunt, ante Christum et post Christum. Nihilominus audiamus quid ementiri volunt, ut probent istum sensum generalem ex litterâ evidenter deducere.

1º Cum Deus annuntiat Judæis venturam Prophetam similem Moysi, præcævit ne augures et divinatores consulant, ad exemplar gentium quarum possessuri erant terram, ut à sancto Hieronymo luculenter assertum est; atqui, an efficaci modo usus esset ad implendam tale consilium, si Judæos remisisset ad tempus solius Messia multis post seculis tantum surrecturi? Ille confunduntur duo facta in textu optimè discreta: Deus et præcipit ne consulantur augures et divinatores, et promittit Prophetam similem Moysi; sed hæc promissio adeò non ex prohibitione vim habet, ut contra, nullo verbo, nullâ partiçula dux res conjungantur: subito apparet promissio: *Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis, sicut me*. Præcipit Deus ne consulantur augures et divinatores, et gratiâ bonitate pollicetur se suscitaturum, in tempore incerto, Prophetam unum similem Moysi, quem audire debebunt. Sanctus Hieronymus nihil aliud ibi suspicabatur: non interpretationem illius prophetiæ tentavit, sed tex-

tum Isaïæ explicans, quo prohibetur audiri pythones et divinos, et præcipitur consili Deum ad legem et testimonium, scilicet suæ voluntatis, sanctus Hieronymus litteram Deuteronomii commemorat quæ vetat Deus ne audiantur augures et divini, jubetque ut audiantur mittendus à se Propheta. Quid inde contra nos? Dicentne concludendum esse quòd, ut in omni tempore vetitum est audire augures et divinatorum, ita oporteat in omni tempore mittendos à Deo prophetas consulere, quasi Deus in omni tempore suscitandos in medio populi sui promississet prophetas? Minime gentium; non ista excogitavit, sed ex hoc jussu Dei concludit in omni tempore, si dubitationis illustrandæ cura est, recurrendum esse ad legem et testimonium sacrarum Scripturarum: Unde (adnotate verba; hæc est consequentia ab Hieronymo deducta), unde, si vultis nosse quæ adha sunt, magis vos legi et testimoniiis tradite Scripturarum. Non ergo hic agit de antidoto quod dat Deus ut consequens prohibitionis, sed de promissione quæ à defensione nullo modo pendet.

2^o Populus ad montem Horeb postulaverat dari prophetam, quia expavescebat pro terribili apparatu quem præ se ferebat Deus cum alloquens: Non audiamus amplius vocem Domini, inquit, nec videamus ignem terrificum, ne moriamur. Quæ petitio, inquit, generaliter facta, nec ad tempus solum Messia applicanda, quod tunc maxime distabat; quæ petitio tamen Deo acceptabilis visa est, et pro quâ Prophetam expectatissimum emittit; atqui, hæc promissio magnificentissima hinc esset aliud quàm irrisio in Judæos, si nonnisi tempore Messia adimplenda fuisset? Non certè Judæis illius Deus; sed et hic etiam confusa sunt duo distinctissima in textu. Quùm Judæi ne cum ipsis Deus colloqueretur postulaverunt, primum Moysi dixerunt: Loquere tu nobis, Deus exaudivit eos; non jam cum eis collocutus est, Moysique sua præcepta populo transmittenda commisit. Non de hoc agit nunc: occasione autem sumpta ex hæc petitione, Deus promissum Judæis longè superius eorum petitioni largitur; Moysen ab illis expositulatum, ut voluntatis divinæ interpretem equidem iis concessit, sed gratuita benevolentia illis in ulteriore tempore Prophetam tanquam Moysen promittit, futurum, ut et fuit Moysen, divinæ voluntatis interpretem.

3^o Manifeste, inquit, in versiculis 20 et sequentibus, Deus certis quibusdam insignibus

verum Prophetam ab omni pseudopropheta distinguere docet à se immittendum: *Videte, inquit, an quod in nomine Domini vobis prædixerit, eveniat.* Certissima, immutabilis in omni tempore et in omnibus prophetis regula! Sic, qui propriam faciunt unius Messia hanc prophetiam, aiunt, aliquid malè consentaneum textui litteræ interpretantur. Hic adhuc confunduntur quæ in textu distincta sunt. Quam regulam dat Deus, non à se mittendum Prophetam, sed prophetas non à se mittendos spectat. Præcisè rem dijudicat textus: *Propheta autem qui, arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret, etc.*, hinc est immittendus à Deo propheta? Constat ergo hic agi de falsis prophetis tantummodo, non quoque modo attingi prophetam quem Deus se missurum esse promissit. Certissima regula est et immutabilis, æterna, adversus omnes pseudoprophetas utilis; sed prophetia ad unum eum prophetam spectat, quem Deus in tempore non designato emittit se pollicetur, hinc sine dubio aliquid malè consentaneum textui litteræ interpretetur, qui seriem prophetarum indicari contenderet in voce quæ unum designat, unum tanquam Moysen, unum, ut fuit Moysen, cæteris præcellentem, Prophetam.... sicut me.

Frustra nunc contenderetur hanc generalem quam modò refutavimus interpretationem, nihilominus adversus Judæos strictiori et potentiori argumento militare, quàm cum hæc promissio ad solum Messiam convergit. De hoc unum solummodo argumentabimur. Impossibile est ex falso sensu deductam prohibitionem magis valere quàm ex vero sensu extant. Si Judæi, inquit, omnem prophetam à Deo missum audire debuerunt, Jesum Christum ut et cæteros debuerunt. Nec sufficiunt ista: hunc tanquam majorem cæteris audire debuerunt; si cum cæteris interniscuerint, ipsum minime cognovissent. Promissum Propheta assimilari Moysi debuit (*Prophetam.... sicut me*). Nulli similis erat Moyses, aliis præeminēbat; ergo et promissum Propheta cæteros antecellere debuit. Talis expectabatur; talis exsurrexit; talem in principio acceperunt; talem accipere debuerunt: *Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Promissio Prophetae*, inquit, nullum signum peculiare inest quo ab aliis distinguatur; si ad unum spectat promissio, discernere illum pro impossibili est. Peculiare inest signum promissio Prophetae, cujus nullus alius est capax: Moysi similis esse debet: *Prophetam.... sicut me.*

Ut Moyses, inter cæteros eminere debet, quicumque propheta hoc signo caret, non promissus est Propheta. Hoc omnis ratio intellexit, siquidem, post tot immisos à Deo in medium ejus prophetas, venturum in mundum illuc Prophetam expectabat. Si talis non fuis-

set Jesus Christus, promissus Propheta non fuisset; sed se talem annuntiavit, talem signis probavit; talem ergo Judæi agnoscere debuerunt; hic ergo verè est Propheta qui venturus est in mundum.

(Bibl. de Vence.)

DE MOYSIS OBITU ET SEPULTURA

Dissertatio.

Insit in res miras animi propensione rapimur omnes; simplicibus eventibus, et facis communibus parùm tangimur: miranda poscimus, esto fabulosa sint et ad libitum excogitata. Hinc amor, quo poësim et inventa prosequimur; hinc voluptas, quam ex iisdem percipimus. Qui primum ex Græcis scripserint, poetas scimus (Strabo l. 4, p. 17); cum verò aggressi sunt historias intexere, quidam poëseos specie eadem instruebant. Herodotus novem suarum Historiarum libros novem Musas appellavit, neque jucundius scribit, quàm cum mirabiliter gestas et fabulas populorum, de quibus agit, traditiones recenset.

Si verò mirabilibus rapimur, præ cæteris sanè veritatis amore ita capimur, ut iis omnino nunquam acquiescamus, quæ à veritate discedunt. Mirabilia eadem, et poetica inventa, quibus maxime oblectamur, minime arident, nisi veri speciem præ se ferant. Nemo falli vult, neque rudibus et incongruis inventis pasci, et fabulosa omnibus jucunda accidunt, usquedum veri coloribus exhibentur. Sacri utriusque Testamenti libri utraque, quibus adeò oblectamur, verum nempe et mirabile mutuo ita connectunt, ut veluti quidam mirabilium textus videantur, quibus omnia et amorem, et reverentiam vindicant, cum in eis undique veritas elucescat.

Judæi pessimè gustòs pravitate, et nimio mirabilium amore ducti, Bibliorum miraculis amplificandis eò usque studuerunt, ut nil ibi supernaturale occurrat, quod suis novis inventis non adauerint. Hinc factum est, ut sine gustu, sine discretionē, sine ingenio, quodque detestius est, sine reverentiâ, quæ veritati, et historicis divinis et Scripturis omnino est adhibenda, prodigiis prodigia sepius cumulataverint.

Vita et obitus Moysis præ cæteris Bibliorum historiarum vitæ sunt ab inanibus inventis, quibus auctores hebræi perpetuò abuti consueverunt. Josephus (Antiq. l. 2, cap. 5) historicis præcipua de Moysi vitâ recenset, quæ utique nonnisi à veterum traditionibus acceperat, vel à libris apocryphis, non aliis ab iis, quos Gualtinus anno 1629 Parisiis edidit, atque ita inscripsit: *Vita Moysi, et Assumptio*, seu mors Moysi.

Quos libros nos ita parvipendimus, ut, quantum ad nos, æternæ oblivioni traditi penitus intercidissent. Cùm verò S. Judas de morte et sepultura Moysi quid peculiare produserit, quod ab aliquâ apocrypha hujus legislatoris vitæ exhaustum fuisse creditum est, nos, ne quòd S. Judas refert, cum hujus insulsi operis reliquis confundantur; ne etiam eadem operis immerita proinde fides adhibeatur; ne denique S. Judæ narrationi obsequium et auctoritas adimantur, librum vitæ Moysi producere, et id, quòd inde S. Judas exhaust, nosque sacrum, et authenticum habemus, animadvertere statuimus, ut idem à cæteris discernatur, quæ nullâ, rabbinicâ exceptâ, auctoritate nituntur.

S. Judas, ut à blasphemis, et à contumeliis omnino abstinentum ostenderet: *Cùm*, inquit vers. 9, *Michael archangelus cum diabolo disputans arreparet de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiam, sed dixit: Imperet tibi Dominus.* In canonicis libris hæc verba nusquam reperiri, inter omnes convenit, quanvis eadem illis Zacharie alludant (Zach. 3, 2): *Incepit Dominus in te, Satan.* Cùm verò à S. Judâ eadem allegentur, auctoritatem canonicam sibi vindicant, et certissimam præferunt veritatem.

Unde S. Judas ea verba exhausserit, discrimen. Quidam ipsa Dei revelatione percipisse volunt, quidam à Patribus suis didicisse statunt; etenim ab Judæis plura scriptis minime tradita, per seniorum traditionem nota erant. Doctissimi autem viri (Est. Grot. Vide Athanas. in Synops. Clem. Alex. lib. 6 Strom. et in Ep. Jud. Didym. in Ep. Jud. Evod. Ep. 259, inter Augustinian. Orig. lib. 5 Periarchoa.) verosimilius autumant, S. Judam ea deluxisse verba è libro de *Assumptione Moysis*, libro quidem apocrypho, qui tamen vera plurimis immixta fabulis referebat. Sacri auctores, utpote celesti lumine perfusi, vera à falsis discernere optime norant; quare quidquid certum ab hisdem recensetur, certiorum ab eorum, quam ab hominum ceterorum testimonio, sibi vindicet auctoritatem. Hinc est, ut idem S. Judas de libro Henoch, quem prorsus ignoramus, aliquid alleget vers. 14; et S. Paulus de Janne et Mambre Pharaonis magis, qui Moysi obstituerunt, meminerit (2 Timoth. 3, 8). Que quidem nos in veteri Testamento nusquam legimus; Apostoli verò nonnisi vel per traditionem, vel per Judæorum libros apocryphos agnovère.

Quod Judæi honorem nimio majorem Moysi habere, plura quam maxime incerta de ejus morte aucter pronuntiaverunt. Fuere, qui eum minime mortem obisse, sed viventem adhuc in cælos assumptum putaverint; quam quidem opinionem et plures inter Christianos auctores defendunt (Vid. Ambros. lib. 1 de Cain et Abel, cap. 2, n. 8; Isidor. Hispal. de Vita et Morte SS. Rupert. in Deuter. l. 2 Catharin.). Fuere qui inter amplexus et Dei oscula occubuisse crederent. Alii, quemadmodum cæteros, è vivis migrasse autumant; alii incertam rem proferunt. « Moyses, inquit Josuephus, Antiq. lib. 4, cap. ult., unà cum Eleazaro et Jesu in monte Abari constitutus, è cum post mortuos complexus eis ultimum vale diceret, inter loquendum repentinà luce circumdatus, in vallem quamdam est ablatu. In sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem à Deo raptum prædicarent. » Is itaque auctor Moysen mortuum et in valle sepultum clarè asserit; neminem verò ejus morti et sepulture interfuisse testatur.

Philo quoque, de Vita Moysis, cum morte sublatum, et sepulture traditum dicit: « Jam, inquit, assumendus, tunc divinitus afflatus, vivens adhuc prophetavit de seipso tan-

quam mortuo, ante obitum narrans se mortuum, sepultumque inspectante nemine, viri delictis manibus non mortalium, sed virtutum immortalium. »

Hebraici codices *Pethirath Mose* (vid. Gaulmin. de Vit. Moys. p. 2, Paris. 1629) seu *Moysis Assumptio* inscripti, prolixum Dei cum Moysæ, antequàm inoreretur, colloquium inepitè referunt, et Moysen ostendunt pro viribus conatum, ut superstitem adhuc vitam à Deo obtineret, usquedum regionem Chanaan, Israelitis diu ante promissam, intueretur; eumque pueriliter adæc loquentem inducunt, ut sermones illos Ihanes nos pudeat describere. Aiebat, e. g. : Quoniam, Domine, à me Jordanem minime trajiciendum, et populum tuum in hanc regionem non inferendum jurejurando te obstrinxisti, saltem veluti Josue famuli mei famulum, vel in piscem, aut in avem conversum eò me ferri indulges. Quibus Domino non annuente, quindecim vel duodeviginti leucis supra nubes offerri, et in eam regionem illinc aditum sibi fieri; vel se in frusta concisum ultra Jordanem projici, et statim ad vitam revocari poscitur. Denique horum nihil sibi Domino indulgente, eandem saltem regionem oculis suis petiti exhiberi; cui tandem Dominus acquiescens, octoginta telluris milliaria per suam virtutem ita contraxit, ut omnem regionem instar pietæ tabule ejus oculis videndam obtulerit; quâ re Moyses remotiora, sublimiora, et profundiora omnia unico obtutu perscrutari facilitate lustravit.

Samael interea, demonum princeps, postremum Moysis momentum, ut ei præfocato vitam adimeret, admodum expetebat; quem eò de re nimis festivum sanctus Michael populi Israelis patronus, in lacrymas effusus ita increpavit: « Infelix, dum floo, rides? » Juxta alios vero: « Non utique exilies, pessima bellua: « animo quidem de Moysis morte concidi, at per Josue à Deo loco Moysis populi principem constitutum, qui et unum supra triginta Chanaanos reges interfecit, animo pristino sum restitutus. In primi et secundi templi eversione ipse tenebris obvolvit; sed ubi Messias advenit, suo me Deus lumine perfundet. » Postrema hæc verba, que in utroque per Gaulminum edito libro habentur, post Christi adventum, et templum secundum à Romanis eversum, hoc opus contextum fuisse ostendunt.

Aliquandò post Moysen, cum supremam auctoritatem, et populi regimen in Josue contu-

lisset, Dominum allocutus, illuc usque ab eo se vitam flagillasse, tum verò se prorsus ejus voluntati committere protestatus est. Tum S. Gabriel et S. Michael, licet à Domino jussi, Moysi necem inferre detrectarunt, ne sexcenta hominum millia in se concitarent; S. Zinghiel etiamse Moysis præceptorem ostentans, domino, qui sibi Moysis necem commiserat, discipulum suum interimere se non posse respondit.

Dominus postremò Samaeli demonum principi, ut Moysen interficeret, imperavit; qui statim stricto gladio lætus in eum irrupit. Cum verò Moyses instar angeli lucem emitteret, et ab oculis et vultu flammæ offunderet, ejusque verba veluti solis radii nitescerent, Samael territus à eade abstinuit, et angeli omnes eam rem viribus suis cininò majorem asseruerunt. Verùm Deus in Samaelem iratus, minis increpatum ad Moysen interimendum iterum misit; cui rursus stricto gladio in se irrucienti, Moyses ipse virgâ assumptâ, quâ Dei nomine inscripta tot miracula perpetraverat, demoni occurrit, eumque in fugam adactum urgens, denique ascescentis gloriæ suæ lumine obcecavit.

Moyses tandem cum ad vitam exitum jam pervenisset, humi prostratus, Deum ne angelo mortis se interimendum committeret, exoravit: cui Deus indulgens, se statim adventurum, eumque sepulcro traditurum respondit. Nec mora, angelis Michael, Gabriele, et Zinghielle secum assumptis, ad Moysen descendit. Gabriel sepulture instruendâ incubuit, Michael purpuram Moysi morienti supponendam instravit, Zinghiel Moysis vestes partim ad pedes, partim ad caput, hinc Michael, Gabriele inde constitutis, composuit. Secundus *Pethirath*, seu *Moysis Assumptio*, pulvinar Moysi egredienti supponendum à Zinghielle compositum refert, et Gabrielem ad dexteram, ad sinistram Michael, Zinghiellem denique ad pedes collocat.

Moysæ igitur decumbente, et Domini jussu clausis oculis, et utraq; manu supra pectus compositis, Deus ejus animam alloquens filium vocavit; eique ut postquam centum et viginti annis corpus illud animaverat, inde statim egredere, præcepit; illi verò roganti, ut, quoniam Moysæ puriorem invenire non posse putaret (1), diturniorem in eò moram sibi indulgeret, iterum mandavit, ne egredi cunctaretur, quòd in suæ gloriæ throno propè angelos, Seraphim, et Cherubin esset illic constitutus.

(1) Locus iste metempsychosis sententiam insinuat.

tunda; que nihilominus respondit: Optime hic ego maneo; angeli, Aza, et Azel, ubi in terras devenère, innocentiam suam inceperunt (1); Moyses verò, postquam ei te in rubo exhibuisti, ne suam quidem uxorem tetigit; quare ne hinc egredi cogar, iterum flagito. Deus verò Moysen amplexus, per osculum ejus animam libavit, juxta illud (Deuter. 34, 5): *Mortuus est Moyses servus Domini in osculo Domini.*

Tum Dominus Moysen sanus legens: Quis, inquit, eisuccedet? Flebant angeli: Ubi invenietur sapientia? Justus, clamabant cæli, de terrâ discessit; tellus verò ab hominibus æquitatein evasisse quebatur. Cælum, sol, luna, planetæ et S. Spiritus nunquam in Israel Prophetam Moysi similem adventurum ingemere. Frustrâ è vivis ereptum Josue quesivit. Metratum angelus Deo dixit: Tuus fuit Moyses, cum viveret; tuus post mortem erit.

Hæc summa eorum, que afferrunt in duobus libris per Gaulminum vulgatis, quorum uterque Moysen mortem, quamvis diversimodè recenset; S. Michaelis verò cum demone de Moysis corpore alterationis neuter meminit. Quomobrem librum de *Moysis Assumptione*, quem Patrum græcorum veteres agnovère, à duobus *Pethirath* alium esse, et eundem nunc omnino deperditum judicamus.

Ejus alterationis aliquid tangi Origenes, lib. 5, ex Anabasi Moysi, ubi ait S. Michaellem demoni exprobrasse, quod Adam et Eva per ipsum eecidissent, pravâ nempe susatione, quâ eos per serpentem decepti. Factum, quod eodem in opere refertur, S. Clemens Alexandrinus memorans (Clem. Alex. Strom. lib. 6), Josue, inquit, et Caleb in montem, ubi Moysi è vivis emigrandum erat, profecti Moysen viderunt. Josue verò præ Caleb duos Moyses aspexit, alterum in monte, alterum medium inter angulos; quorum alteri in vallem translato juxta persoluta, et luctus institutus. Caleb, quòd è monte ante Josue descendisset, hæc non conspexit; verùm Josue, quòd purior, et majori donatus lumine esset, omnia intuitus, singula Israelitis narravit.

Evodius etiam ad S. Augustinum scribens, Ep. 259, inter Augustinianas, hunc ejusdem operis locum producit, Moysæque, ubi in montem moriturus ascenderat, in duo corpora discretum refert: « Ut aliud esset, quod terræ mandaretur, aliud, quod Angelo comitanti sociaretur. » Quod quidem cum quorundam

(1) Falso Henoch libro hic alluditur, ubi Angli filius hominum ingressi dicuntur.

veterum ideâ coheret, qui præter rude et terreste corpus, quo instruitur, et quibusdam præcatis annis per mortem solvitur, animam nostram alteri subtiliori, et aëreo, à quo vel post obitum non secedunt, adhxere arbitrantur.

Loca denique ex eodem de *Moyſis Assumptione* volumine hausta hæc producentur (ex Actis synodi I Nicen. lib. 2, cap. 2 et 10). Sanctus Michael cum dæmone disceptans: Nos, inquit, à Spiritu Dei creati sumus, atque: *Spiritus à facie Dei egressus est, et nos omnes creati sumus.* Alibi etiam (ibid. lib. 2, cap. 18) Moyſes morti proximus ita Josue compellasse fertur: *Deus antequam orbem conderet, me sui fœderis mediatorem futurum prævidit. In Pethirath codicibus per Hebræos contextis, qui et nunc obtinent, de his ne verbum quidem. Liber igitur de Moyſis Assumptione alius omnino est ab his codicibus; quem si verè sanctus Judas hic allegavit, ut Origenes, Didymus, et Patrum et interpretum plerique senserunt, necesse utique, ut ante Christi adventum conscriptus fuerit; ubi è contra ii, quos nunc Hebræi hebraicè exaratos servant, post secundi templi eversionem, ut ante tetigimus, conscripti fuere.*

Verùm sanctus Michael et dæmon quâ de re disceptant? Sanctus Judas de Moyſis corpore eos decertasse asserit; sed quare decertaverint, non dicit. Oecumenius sanè à veterum traditione doctus, illud in causâ fuisse prodit, quòd cum sanctus Michael illustriori sepulcro Moyſi instituendo incumberet, ei dæmon validè obstitit, quòd corpus Moyſis, utpote qui Ægyptium, de quo Exod. 2 (Exod. 2, 11, 12), interfecerat, ad se spectare, et sepulcri honore prorsus indignum esse dictaret (Oecumen. in Jud. Ep. ita et Clycas part. 2 Annal. Pantalcon Chartophylax, etc.). Quamobrem sanctus Michael ut dæmonem retunderet, Domini imperium indixit: *Imperet tibi Dominus.* S. Epiphanius hæres. 9 et 84 contr. Origen. etiam, et Philo (de Vita Moyſis ad finem) Moyſem angelorum operâ sepulturæ mandatam tradunt, ne, ut veteres Patres (Chrysostom. hom. 5 in Math., Theodoret. qu. 45 in Deuter., Procop. in Deuter. Adde Joseph. Antiq. 1. 4, c. ult.) censent, Hebræi ad idololatriam proclives, legislatoris virtute capti, si ejus sepulcrum nõ sent, divinos eidem cultus fortè exhiberent.

Quod quidem Hebræis jure meritò cautum fuit: etenim quidam Arabiæ Petreæ populi, Idumæi nempe, et alii, quos Moyſes nequa-

quam sibi devinxerat, et nihilominus, teste Epiphano (hæres. 33, quæ est Melchisedech), divinos honores impenderunt. Hunc faciliè cornibus instructum exprimebant; quo factum esse suspicamur, ut Arabes sub eâ imagine Bacchum coluisse crederentur. Reverà plura Moyſis gesta Baccho adscripta constat.

Fuere, qui putarint dæmonem vel per magos Moyſis corpus jam tumulo conditum suscitari, vel Hebræis saltem patefieri contēdisse, ut deinde populis Deum esse suaderet (Ambrosiast. in Gal. 5). Alii non de Moyſis sepultura, sed ne ejus anima in deliciarum et pacis locum inferretur, dæmonem decertasse docuerunt (Martyrius Syntag. de Statu orientium et Etherianus de Regressu animarum c. 9). Conjecturâ Serarius ducit, dæmonem corporis Moyſis virtutem veritum, S. Michaeli obstitisse, ne in Moab regione idolorum cultui addictâ tumularetur; sicuti diu post in Daphnes prope Antiochiam loco, ubi Apollo potissimum colebatur, S. martyris Babylæ corpus sepulcro traditum fuisse conquestus est.

Patrum et interpretum nonnulli (in Deuter. cap. 34, 5), Moyſem minimè obisse, sed Henoch instar et Eliæ in cœlum vel in terrestrem Paradisum translatum, sibi persuasisse videntur. S. Clemens Alexandrinus Moyſem, postquam in cœlum sublatus est, Melchi appellatum refert (Clem. Alexand. lib. 1 Strom.). S. Hilarius (in Math. cap. 20, num. 10), S. Ambrosius (lib. 1, cap. 2, de Cain et Abel.), S. Hieronymus (in c. 8 Amos.), S. Isidorus Hispalensis, Rupertus abbas, et alii, quenadmodum cæteros homines Moyſem occubuisse non putant; quam quidem opinionem ab aliquo apocrypho, qui perit, libro fortè extulerant, ut in his verbis S. Hilarius insinuat: *et si quis conditionem et mortis, et sepulturæ; et sepulcri Moyſis diligenter adverterit; et secretam Scripturam, secundum Apostoli auctoritatem, intelligat omnia ita esse tractata, ut Moyſes potuerit jam videri.*

Ex eo Moyſem non obisse quidam defendunt, quòd in transfiguratione Domini et ipse apparuerit; nos verò ab eorum Patrum præceptis illud tantummodò innui voluisse libidem ostendimus (vid. Comment. in Deuter. 34, 16), quòd Hebræorum legislator non quemadmodum homines cæteri interierit, sed ejus animam in quietis et deliciarum locum sublata fuisse. His verò, qui Moyſem non occubuisse, sed translatum seriò putant, perspicuum obijciunt Scripturæ auctoritatem, quâ Moyſes

mortuus, et sepulcro traditus apertè denuntiatur.

Quis verò Moyſem sepulcro mandaverit, incertum, cum à Scripturâ non proferatur (Deuter. 34, 5): *Mortuus est Moyſes sercus Domini in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terre Moab.* Nonnulli ea verba: *Et sepelivit eum, ad Dominum proxime ante enuntiatum referentes, Moyſem ab eodemmet Deo, vel potius juxta Hebræorum et Christianorum traditionem ab angelis sepultum statuunt.* Ferunt alii, eadem verba: *Et sepelivit eum, de eodem Moyſe, qui semetipsum sepeliverit, explicantes esse ita vertenda: Et is semetipsum sepelivit; se nempe Moyſes in specu, ubi statim decessit, composuit, ibique omnibus incognitus lucusque deliuit.* In monte Nebo, et Plaga Moyſem occubuisse, et in vallonem inde delatum, ab Josue et Eleazar sepulturæ fuisse traditum, Sacer textus videtur innuere. Quod enim ad miracula tum confugiamus, cum neque postulet necessitas, neque Scriptura meminerit? Josue et Eleazar eâ erant prudentiâ, ut optimè periculum nõssent, in quod Israelitæ incurrisserint, ne propter Moyſem in idololatriam adducerentur, de quo fortè etiam discrimine ipse Moyſes utrumque præmonuit; idque sanè malum prorsus avertere eorum maxime intererat. Moyſis itaque morti eos interfuisse, et postrema à S. legislatore verba excepisse, simillimum vero ducimus; qui deinde ejus cadaver à montis cacumine in vallonem delatum in abdito specu condiderunt, eundemque specum cautè oclusum nemini unquam prodidisse: quare non cognovit homo sepulcrum ejus usque in presentem diem (Deuter. 34, 6).

Librorum *Pethirath*, quos jam allegavimus, Hebræi auctores, Deum per semetipsum Moyſi sepulturam præstitisse, sepulcrum verò Gabriellem composuisse testantur. Moyſes, ad dunt, decubuit, animam egit, eodemque statu corporis, eodemque, ubi osculum à Deo accepit, loco conditus deliuit. SS. verò angeli Michael, Gabriel, et Zingheli, qui eidem mortui adfuerunt, et lectura, et sepulcrum præstitierunt.

Sunt, qui Moyſis sepulcrum ab Jeremiâ tum inventum velint, cum S. Propheta, paulò antequam Jerusalem à Nabuchodonosore caperetur, tabernaculum, arcam, et altare thymiamatis in monte Nebo occuluit: *Tabernaculum* (2 Mach. 2, 4, 5), *et arcam jussit Propheta cœnari secum, usquequò exiit in montem, in quo Moyſes*

ascendit, et vidit hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias, invenit locum sepulcræ, et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. Ea tamen verba: *Invenit locum sepulcræ, verti etiam possunt: Invenit locum cujusdam sepulcræ, et omnia, quæ detulerat, illuc intulit.* Antra quidem in montibus sæpissimè occurrunt. Idumæa, Palestina, et regio Moab montuosæ sunt et cavernosæ ad incolarum periculum, ubi hostes arva invadant. Res autem tunc posecebat, ut ex his specubus aliquis inveniretur commodior, atque occulior, eique ita ostium obstrueretur, ut non per arduum laborem recludi contingeret. Ex his quosdam ita oculos se vitiose itinerantes testantur, ut quâ vi illuc aditus pateat, quæ arte effodi possint, vix percipiatur.

Prodigium à Cedreno Moysimus (Hist. 1. 1) Lucida, inquit, nubes Moyſis sepulcrum ita contegit, ut veluti interjecto pariete intantum oculos ulterius progredi non sinat; quamobrem illud hæcenus nemo hominum novit. Inventum nihilominus putant anno 1635. Rem verò Georgius Hornius ita narrat (vid. Horn. Hist. Eccles. Basnag. Hist. Joseph. continuat.): Cum pastores quidam Maronitæ octobris mense anni 1635, in montibus Nebo et Alarim capellas pascerentur, earum aliquas identidè duorum vel trium dierum itinere à grege secedere, regressas verò mirificè redolere adverterunt. Rem itaque percipituri, errantes prosequuti, ad altissima prærupta loca devenere; in quorum imo contracta quidem sed gratissima vallis, ad quam nominis per arduas rupes, quas à proximis montibus terræ motus fortè præcederant, aditus patebat. Illuc profecti, antrum, et in medio antro loculum in vivâ rupe excisum, panisque, quos percipere non potuere, characteribus inscriptionum invenerunt. Antrum undique suavissimè redolebat, regressive pastores odorem illum vestibus suis ita contraxerunt, ut hæ mirificè redolerent.

Ad Mataxat Maronitarum patriarcham, in monte Libani in monasterio *Canoben Kadischa Mariam* degentem, re delatâ, duo probati sacerdotés, Aben Useph præsertim sapientiâ et scientiâ spectantissimus, missi eò fuere; qui antrum ingressi, sepulcri inscriptionem ita legerunt: *Moyſes Dei famulus.* Eventu hilaris patriarcha ad Damasci presidem profectus, sibi sepulcri custodiam permitti, rogavit. Greci verò, Armeni, Judæi, et Franciscani, tant sibi quoque obtinendi corporis spe ducti, et

precibus, et pecuniis etiam plurimis, ut sibi sepulchri cura committeretur, enixè elaborarunt: Judæi præ cæteris, quòd Moyses eorum esset legislator, sibi conati sunt adjudicari. Turcarum princeps, quòd Jesu Christi Jerusalemis, Mahometi Meccæ, et Moysis sepulchro in monte Nebo potiretur, quàm maximè efferebatur.

Jesuïtae, Hornius subdit, omnium spem eversuri, illud à Turcis impetrarunt, ut sepulchro, et viis omnibus eò ferentibus oclusis, ne quis se illuc conferret, capitis penâ interdiceretur. Quamobrem Damasci præfectus Morat Sanjaco Jerusalem, et Sarepta imperavit, ut antrum, et ad illud aditum omnem intercluderet. Jesuitarum verò mens ea fuerat, ut corpus Moysis subreptum in Europam ipsi transveherent. Quibusdam itaque montis Libani Drusis assumptis, ad antrum clam profecti, recluso sepulchro nil invenère. Cùm nihilominus ipsius sepulchri quidquam asportare conarentur, Jerusalem Sanjacus re cognitâ, milites misit, qui duris increpatos à cæpto opere prohibuerunt; saxisque ingentibus eò devolutis, viam omnibus omninò imperviam reddidère. Quæ quidem maximam Bizantio turbationem crearunt; verùm inter sapientes quid de eo sepulchro cogitandum, non conveniebat; donec Judeus quidam filius Gad, Sarepta incolta, Jechonias nomine, librum edidit, quo inventum locutum non Moysis Hebræorum legislatoris, sed alterius longè junioris Moysis sepulchrum esse ostendit. Tum de invento Moysis sepulchro spes omnis evanuit.

Hæc Hornius, quæ plurimis sanè difficultatibus evolvuntur. 1^o Jechoniam filium Gad Sarepta incolam, qui inventum sepulchrum Moysis non esse scripsit, nunquàm extitisse putamus (Bartoloc. tom. 3, p. 950; Basnag. Continuat. Histor. Judeor. tom. 4, l. 6, c. 17, edit. Paris.). 2^o Maronitarum patriarcha anni 1655, non *Mataxat*, sed *Joannes* vocabatur; cui anno 1657 *Georgius Beschel* successit. 3^o Damasci præfectus, qui eam provinciam gere-

bat, *Beschis* non *Morat* appellabatur, qui deinde summus visirius constitutus, Damasci regimine in filium suum *Maimè* collato, quadraginta post novam dignitatem diebus, prefocatus interitit. 4^o Arduum nimis et incredibile, quòd pastores Libani usque ad montem Nebo, leucis septuaginta dissitum ad pascua greges suos agerent. Neque illud similis vero, quòd capellæ trium dierum itinere à grege secederent, et ad pastores suos deinde reverterentur. Cæteræ demùm hujus historie circumstantiæ fabellam undique præferunt; quare et hæc inter ea numeramus, quæ ab Judæis in Moysis *Pethirath* recensentur.

Illud verò de Moysè certò scimus, quòd non morbo, aut senio confectus sit; in mortis enim articulo *nec oculi ejus caligaverant, nec moti fuerant dentes* (Deuter. 5, 47), sed Domino jubente interierit, et quòd ad calcem montis Nebo, seu Phasga sepulture traditus fuerit; quamvis an Eleazar et Josue eundem tumulaverint, an verò Deo mandante per se ipsum Moyses in loco, ubi decessit, sese composuerit, ignoramus. Scimus præterea, S. Michael cum demone de Moysis corpore disceptasse; quo in discrimine S. Michael gravioribus verbis demone minime excepit, enuntiasse contentus: *Imperet tibi Dominus*. Hujus verò disceptationis circumstantiæ latent; quæ quidem sensibili modo instituta non fuit. S. Michael, demonisque nature accommodatis, eundem prohibuit, ne Moysis sepulchrum Judæis proderet, eosque ad idololatram facillè impelleret.

Locum denique, quem S. Judas producit, ab apocrypho libro, de *Moysis Assumptione* inscripto, longè alio ab utrisque, quos *Gaulminus Parisiis 1629* edidit, et *Pethirath Mose* appellavit. S. Apostolus, juxta Patres, exhaustit. Ipsum verò librum de *Moysis Assumptione*, à nobis omninò deperditum, ante Christi adventum, eodem fabularum gustu, quo uterque *Pethirath* post templum à Romanis eversum, græcè conscriptum arbitramur.

INSTRUCTIONES ET MYSTERIA

QUE IN SINGULIS PENTATEUCHI LIBRIS CONTINENTUR.

I. GENESIS. — Per Genesim primò nobis innotescit essentia ipsa Dei, quem docemur esse Deus supremum, auctorem et principium om-

nium entium, creatorem orbis et omnium ejus motuum rectorem, et eum in quo nos ipsi vivimus, movemur et sumus.

In hoc libro attributa divina undique referunt. Incredibilis facilitas quæ Deus dedit esse huic orbi vastissimo, creatorisque quibus impletur, nos maxima sentire cogit de ejus potentia; dicit, et omnia sunt; jubet, et omnia creantur.

Constans et immutabilis ordo quem constituit, non solum in volvendis sideribus, sed etiam in servandis propagandisque omnibus variis plantarum, animalium, cæterarumque creaturarum speciebus, sapientiam ejus magnificat.

Eximia dona quibus hominem ditat, hunc ad imaginem similitudinemque suam creando, gratiæ quibus hunc cumulat, ipsi summum in creaturas intelligentiæ carentes dominium attribuendo, felicitas quæ illum beat, in loco deliciarum ubi creatum collocat, cura quæ illi adjungit auxiliatricem ipsi similem, quæ, ex unâ ejus costâ formata, caro sit ejus ex carne, et os ejus ex ossibus, Dei bonitatem demonstrant.

Justitia ejus apparet in penitentia quam homini peccatori, seminique illius imponit, tum in variis pœnis quibus afficit veterem orbem, aquæ diluvio scilicet, Sodomam et Gomorrhiam cum demone de Moysis corpore disceptatores à quibus poenam culpæ per ipsam vitam repetit.

Providentia ejus patet in curâ quæ Deus omnia quæ inter homines aguntur regit, quæ insanas eorum libidines sapientium consiliorum suorum ministras esse cogit, ut videre est in historiis sanctorum patriarcharum, Abrahami, Isaci, Jacobi, Josephi.

Præsentiam suam manifestam facit securitate quæ prænuuntiat Noe diluvium; Abrahamo ipsius posterorum varios status, Sodomæque ruinam; Jacobo, quæ sors maneat tribus ex duodecim ejus filiis nasciturus; Josepho, exitum Israel de Ægypto, reditumque in terram Chanaan.

Misericordia ejus supra omnia ipsius opera effulget: specialiter in promisso quo pollicetur homini sese hominis peccatum esse reparaturum, et in modo quo promissum adimplet. Satanus homini persuserat, si de fructu prohibito comederet, ipsum Deo similem futurum esse, homoque, Dei præceptum frangens, se bestiis assimilaverat. Deus, ad reparandum hominis casum confundendaque Satanæ consilia, Filium suum homini similem fieri vult, ut in ipso et per ipsum verè similis Deo homo efficiatur; et quia Satanus per feminæ ministerium hominem seduxerat, Deoque rebellem fecerat, Deus ex solâ feminâ vult nasci hominem-Deum per quem salvandus est homo, per

quem eluenda est injuria quam Deo infulsi Adamæ inobediencia. Et misericordiam Dei arguit, tum electio gratuita quæ Abrahami, Isaac, Jacob, eorumque posteris ad formandum Dei populum adscribuntur, tribusque Juda ut ex eâ Messias exoritur, tum in promisso gratuito etiam benedicendum esse omnibus nationibus in personâ hujus divini liberatoris, ex quo velut ex fonte profuunt in omnes gentes cœli benedictiones.

Ille divinus Redemptor promittitur primò Adamo qui modò peccaverat. Reipsa ad Noe, qui solus caput novarum gentium fit, promissio devolvitur; ad Sem transit, unum ex ejus filiis qui dux factus est stirpis electæ; fixa manet super Abraham quem Deus expressè vocat ut ex eo sui populi duces, omnium credentium patrem et exemplar faciat: hæc iterat; hæc vicissim repetit Isaac Jacoboque Abrahami filio nepotique; hic eam transmittit filio suo Jude, ut duci tribus unde exorturus est hominum Redemptor.

Nec Deus tantummodò hominibus promittit divinum Salvatorem, sed et in Adamo ejusque nepotibus multa facta inveniri vult, quæ, vel parabolarum et ænigmatum mysteria hujus Redemptoris et quidquid ad illum spectat, prænuuntiant. Sic mors ejus in cruce, ubi ex latere transfixo Ecclesiam, sponsam suam genuit, representatur in illo sapore Adami per quem Eva, uxor hominis, ex costâ mariti nascitur; injusta violentaque nex quam ex invidiosis fratribus accipiet, fingitur in Abel à Caino fratre suo trucidato; abditâ Deoque omninò sacra vita figuratur in Henoch, ante Deum gradiente; qualitas ejus Salvatoris mundi, in salute quam Noe orbi offert; regale ejus sacerdotium, in Melchisedech; ejus sacrificium, in Isaac; labores ejus, in Jacob; dolores ejus et resurrectio, in Josepho humiliato, dein exaltato; ejus inter gentes regnum in Josepho Ægypti imperante; futura Judeorum revocatio, in Jacobi liberis cum Josepho fratre suo reconciliatis.

Ecclesia, hujus divini Salvatoris sponsa, representatur tum per Evam, uxorem primi hominis, viventiumque matrem, tum per arcam ubi Noe cum familiâ suâ diluvium universale effugit, quæ cæteri omnes extinguuntur; tum per Sarâm, uxorem Abrahami; per Rebecca, uxorem Isaac; per Rachel, uxorem Jacobi; per Aseneth, uxorem Josephi.

Discretio quæ Deus reprobatos ab electis sejungit, et specialiter Judæum incredulum à